Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2353

Quelle:
Copyright:

cabulo inſcriptum primus e *Mſ.* in *Annales Minorum* tranſtulit *Lucas Waddingus* T. III. *ad an.* 1331. dein *Bollandus* in *Act. SS.* T. I. *Januar.* p. 986. ſed ex alio Codice repraeſentavit. Ab utroque exemplo multum abit Noſter, ut quaedam dabunt ſpecimina ad *Bollandi* numeros exacta. N. 1. Boll. *ipſa* (Trapezus) *ſchola quaedam eſt Perſarum, Medorum* &c. Noſter: *portus eſt.* Boll. *Caſtrum Tegana.* Wadd. *Zancha.* Noſt. *Zanega*, qui praeterea ſubjicit: *In hac Ciuitate poſitum Corpus anaſtaſij, qui fecit ſymbolum: Quicunque vult ſalvus eſſe.* Nil de hoc in *Act.* SS. T. I. *Maji.* ubi *Athanaſii* corpus *Alexandria CPolim*, et hinc *Venetias* translatum oſtenditur. N. 2. Boll. *ciuitatem nomine Caricon*, Wadd. *Achaerea.* Noſt. *Arciron*, melius, pro *Erzerum.* Praeterea *Oderico* volenti montem *Ararat* conſcendere, *dicebat gens illa, quod nullus vnquam aſcendere potuit*, Boll. *quia hoc dicitur Deo altiſſimo non placere*, Noſt. *nam hoc noſtro domino altiſſimo non placet*, et fortaſſe ſic rectius de *Sultano* intelligatur. Haec ſufficiant, ſi addidero, in *Cod.* noſtro, ubi alii legunt *terra, territorium*, ſemper haberi *Contrata* voce Italobarbara, quod mihi argumento eſt, exemplum ex antiquiſſimis eſſe, e quo alia ad externorum captum excripta ſint. Item Narrationem de *M. Chano*, quam velut *Appendicem* Codex *Bollandi* adtexuerat, in noſtro ipſi *Itinerario* ex perſona *Odorici* inſertam eſſe. Finit hic: *Ego frater Odoricus de foro Julij de quadam terra que vocatur portus maonis* (naonis, Pordenone, non itaque Utinenſis natu) *de ordine fratrum minorum teſtificor et teſtimonium prebeo reuerendo fratri et domino meo fratri Guidotto prouinciali ſancti antonij in Marchia Triuiſina cum ab eo fueram per obedientiam requiſitus quod omnia que ſuperius ſcripta ſunt propriis oculis vidi et quedam audivi a fide dignis vt predixi. Communis etiam locucio illarum contratarum quod illa que non uidi teſtatur eſſe vera. Multa eciam alia vidi que ſcribi non feci cum ipſa incredibilia apud homines videntur niſi illa proprijs oculis conſpexiſſent. Ego autem de die in diem propero* (praeparo) *me ad illas contratas accedere in quibus diſpono me vivere et mori vt illi placuerit a quo cuncta procedunt. Predicta autem fideliter frater Guillelmus de ſolagna* (Provinciae Mutinenſis, non de Saxonia, ut Wadding.) *in ſcriptis redegit ſicud predictus odoricus ore proprio exprimebat. Anno domini Milleſimo CCC° XXX de menſe maij Padue in loco ſancti antonij confeſſoris*, (unde Odoricus infirmus Utinum, locum mortis, transferri voluit) *nec curauit de latino difficili et ornato ſed ſicud ille enarrabat ſic iſte ſcribebat ad hoc vt ipſum omnes legentes facilius intelligerent que dicuntur. ſupradictus frater odoricus tranſiuit de hoc mundo ad deum in conuentu vtini Anno Domini M. CCC° XXX.*

(ma-